

ARTICULUS II.

De subjecto et objecto dominii.

49. Cum dominium importet ex data definitione liberam facultatem disponendi de re aliqua tamquam sua, evidens est, solam naturam intellectualem esse dominii capacem; solum enim naturae intellectuales sunt libertatis capaces.

Deus igitur Optimus Maximus, qui est primum liberum, unicus omni perfectione infinite excellens, creator, conservator et cooperator omnium effectarum rerum est unicus et inalienabiliter absolutus et independens Dominus omnium rerum. *Domini*, psallebat David (1), *est terra, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et universi qui habitant in eo*. Sapiens ait (2): *Non enim est alius Deus quam tu, cui cura est de omnibus... Virtus enim tua justitiae initium est, et omnium... Dominus es*.

Hujus tamen supraemae perfectionis, homines (3), quos ad imaginem sui condidit participes effecit, cum eis ab initio mundi benedixit (4): *Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram*. Inde bona terrae omnibus hominibus, naturam socialibus, negative communia, dictante ratione et omnium gentium jure, positive in plura privata dominia sunt divisa, quae a legibus recognoscuntur, constituuntur et ad bonum commune societatis diriguntur.

Dixi recognoscuntur et diriguntur, nam primarius dominii privati fons non est societas, sed ipsa natura.

«Est enim homo, docet Leo XIII (5), quam respublica senior: »quocirca jus ille suum ad vitam corpusque tuendum habere naturam ante debuit quam civitas ulla coisset.» «Res enim eas, quae ad conservandam vitam maximeque ad perficiendam requiruntur, terra quidem cum magna largitate fundit, sed fundere ex se sine hominum cultu et curatione non posset. Jam vero cum in paradisi naturae bonis industriam mentis viresque corporis homo in-

(1) XXIII, 1.—(2) Sap. XII, 13, 16.—(3) Angelis dominium competit in res suas spirituales (Disq. I, Thes. XX, Vol. IV) ut ad secretum, famam, etc.; in res vero sublunares nullum dominium habent, sunt tantum ministri Altissimi; de possibili tamen non videtur repugnare, Deum posse alicui angelo verum dominium rerum corporearum tribuere.—(4) Gen. I, 28.—(5) Encycl. *Rerum novarum*. De condit. opific. § *Neque est*.

»sumat, hoc ipso applicat ad sese eam naturae corporeae partem, »quam ipse percoluit, in qua velut formam quamdam personae »suae impressam reliquit; ut omnino rectum esse oporteat, eam »partem ab eo possideri uti suam, nec ullo modo jus ipsius violare »cuiquam licere (1).» «Quo modo effectae res causam sequuntur a »qua effectae sunt, sic operae fructum ad eos ipsos, qui operam »dederint, rectum est pertinere. Merito igitur universitas generis »humani, dissentientibus paucorum opinionibus nihil admodum »mota, studioseque naturam intuens, in ipsius lege naturae fundamentum reperit partitionis bonorum, possessionesque privatas, ut »quae cum hominum natura pacatoque et tranquillo convictu maxime congruant, omnium saeculorum usu consecravit.—Leges »autem civiles, quae, cum justae sunt, virtutem suam ab ipsa naturali lege ducunt, id jus, de quo loquimur, confirmant ac vi »etiam adhibenda tuentur.—Idem divinarum legum sanxit auctoritas, quae vel appetere alienum gravissime vetant: *Non concupisces uxorem proximi tui: non domum, non agrum, non ancillam, non bovem, non asinum, et universa, quae illius sunt* (2).»

Hinc: **Socialismus** hodiernus, qui evertit privatas possessiones, ut omnia bona transferat a privatis ad Rempubicam, quae, ea per suos ministros in singulos dividat; res est, ait Leo XIII (3) «valde injusta, quia vim possessoribus legitimis affert, pervertit officia reipublicae, penitusque miscet civitates.»

Si objiciatur quod «terram Deus universo generi hominum utendam, fruendam dedit,» respondet idem sapientissimus Pontifex (4), id quidem non posse «ullo pacto privatis possessionibus obesse. Deus enim generi hominum donavisse terram in communi dicitur, non quod ejus promiscuum apud omnes dominatum voluerit, sed quia partem nullam cuique assignavit possidendam, industriae hominum institutisque populorum permissa privatarum possessionum descriptione.»

Si igitur fundamentum privati dominii est ipsa natura rationalis, inde etiam patet, per se omnes homines esse capaces hujus dominii, quin excludendi sint: a) Haeretici, infideles, et peccatores, ut definivit concil. Constantiense adversus Wiclef et J. Hus; nam nec peccatum, nec infidelitas spoliant homines a natura rationali et libero arbitrio; nec ullo jure probatur, gratiam et fidem esse requisitas ad dominium habendum. b) Pueri et perpetuo amentes, quia praediti intellectu et voluntate, habent quantum ex natura sua requiritur, potestatem de rebus suis disponendis, licet per accidens impeditum habeant exercitium (5). His generatim praeli-

(1) Encycl. *Rerum novarum*. De condit. opific. § *Qua ex re*.—(2) Ibid. § *Horum tam*.—(3) Ibid. § *Ad hujus*.—(4) Ibid. § *Neque est*.—(5) V. Lugo, D. 3, n. 14.

batis, hic solum agemus speciatim de dominio clericorum, aliarum personarum dominiis ad casuum summistas remissis.

THESIS VI.

Clerici bona temporalia licite possidere possunt.

50. Nota. I. Ex Historia ecclesiastica constat, clericos usque ad saeculum v ex communibus Ecclesiae bonis vitam sustentasse, quin ullum haberent dominium proprium particulare. Simplicius Papa anno 470 singulos redditus annuos divisit in quatuor partes: primam assignans Episcopo, secundam clericis, tertiam fabricae Ecclesiae, quartam pauperibus. Bona clericorum dividuntur iuristae et theologi in patrimonialia, quae clericis obveniunt a parentibus, propinquis, vel etiam ab aliis haereditate, donatione, arte, industria, etc. Quasi-patrimonialia, quae clericis acquiruntur tamquam stipendium ex ministerio ecclesiastico, Missas celebrando, funeralia comitando, etc. Beneficialia tandem, quae ipsis assignantur propter aliquod officium ex bonis ecclesiasticis.

II. Thesis est de fide contra pauperes lugdunenses (an. 1160) sive Waldenses, a Waldone lugdunensi sic appellatos, qui contendebant clericos, sacerdotes praesertim, sola contentos eleemosynâ vivere debere; atque idcirco defecisse sub Sylvestro Romanam Ecclesiam cum eo tempore possessiones bonorum admiserit. Wiclefus asserebat ann. 1375 id jure divino prohiberi clericis singulis, ac damnatos idcirco esse Augustinum, Benedictum et Bernardum, nisi ante mortem poenitentiam egerint; hunc sequuti sunt Calvinus, Lutherus et sectarii nostri temporis eorum filii.

51. Prob. 1.º Ex propositione 36.ª Wiclef. damnata in Concil. Constantiensi: «Papa cum omnibus clericis suis, possessionem habentibus, sunt haeretici, eo quod possessionem habent.» Ex propositione 26.ª et 27.ª Syllabi: «Ecclesia non habet nativum ac legitimum jus acquirendi et possidendi.» «Sacri Ecclesiae ministri Romanusque Pontifex ab omni rerum temporalium cura ac dominio sunt omnino excludendi.»

2.º Ex Scriptura (1): «*Praecipe filiis Israel, ut dent levitis de possessionibus suis, urbes ad habitandum et suburbana earum per circuitum...* Vide etiam Josue (2) ubi narratur, Dei jussu possidere sacerdotes quadraginta et octo urbes. S. Paulus (3) aiebat: «*Oportet episcopum... hospitalem... suae domui bene praepositum...* Ad Corinth. scribebat (4): «*Ita et Dominus ordinavit iis qui Evange-*

(1) XXXV, 23.—(2) XXI.—(3) I.ª Timoth. III, 3, 4.—(4) I.ª, IX, 14.

lium annuntiant, de Evangelio vivere. Unde sic: sacerdotibus et levitis V. T. licebat possidere, et ipsis debebantur decimae et oblationes, ut divinis cum honore vacare possent, sacerdotibus N. T. dicitur suae domui bene praesidere debere, habere potestatem, ut de Evangelio vivant: Sed etiam sacerdotes novi Testamenti plus quam veteris testamenti sacerdotes altissimis mysteriis vacare debent; domum habere et vivere de Evangelio saltem stabiliter non possent, sine proprietate seu possessionibus. Ergo...

3.º Traditione. Concil. Agathense (saec. vi) c. 48, relatum apud Gratianum (1): «Episcopi de rebus propriis, vel acquisitis, vel quidquid de proprio habent, haeredibus suis si voluerint, derelinquant.»

4.º Ratione. Clerici non secus ac alii homines sunt capaces domini et nullo jure prohibentur possidere. Ergo si possessiones habent, licite retinent.—*Antec. prob.* Tum quia nullum est jus divinum et humanum invalidans et prohibens dominium clericorum; tum quia dominium rerum temporalium non opponitur professioni clericorum, imo posse habere proprietatem Ecclesiae convenit jure divino, quae ut societas hominum a Christo instituta, a communibus bonis omni societati carere non potest. Sed inter haec habetur posse possidere (2). Ergo...

52. Obj. 1.º Sacerdotes et levitae solum habebant usum rerum non proprietatem. Ergo... *Antec. prob.* Josue (3): «*Tribui autem Levi non dedit possessionem, quoniam Dominus Deus Israel ipse est possessio ejus.*

Resp. Neg. antec. Ad prob. Explico cum distinctione non dedit possessionem separatam ab aliis sicut caeteris tribubus; conc. Ullam possessionem; neg. Constat ex probationibus.

Obj. 2.º Legimus apud Lucam (4): «*Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus.* Apud Matthaeum (5): «*Nolite possidere aurum,* etc. Ergo sacerdotes, qui sunt discipuli et incumbunt ministeriis apostolicis non possunt possidere.

Resp. Ad 1.ª probare nimis, nam etiam omnes fideles sunt disci-

(1) C. XII, q. 1, c. 19.—(2) Hoc jus Ecclesiae agnoverunt et confirmarunt leges civiles L. 1, cod. de sacros. eccles. In Hispania illud firmatur in novissimo concordatu anni 1851 ab articulo 35.º et sequentibus quorum 41: «Además, la Iglesia tendrá el derecho de adquirir por cualquier título legítimo, y su propiedad en todo lo que posee ahora ó adquiriera en adelante, será solemnemente respetada. Por consiguiente, en cuanto á las antiguas y nuevas fundaciones eclesiásticas, no podrá hacerse ninguna supresión ó unión sin la intervención de la Santa Sede, salvas las facultades que competen á los Obispos, según el Santo Concilio de Trento.»—(3) XIII, 33.—(4) XIV, 38.—(5) X, 9.

puli Christi; quare sensus explicatur: qui non renuntiat omnibus quae possidet, quoad immoderatum affectum: conc. Quoad ordinatum affectum; neg.

Ad 2.^m Dist. secundum consilium et perfectionem; conc. Secundum praeceptum; neg.

Obj. 3.^o Candidatus primae tonsurae dum eam suscipit, res temporales abdicat, cum sua faciat verba Psalmi (XV, 5): *Dominus pars haereditatis meae et calicis mei, tu es qui restitues haereditatem meam mihi*. Ergo...

Resp. Neg. *antec.* Initiandus tonsurâ, solum significat illis verbis se divino cultui et servitio mancipare, illis a se ablegatis curis et pompis saecularibus, quae clericum minime decent. Concilium Aquisgranense (1) expresse ea verba de paupertate spiritus exponit. Monet enim clericos: «Pauperes spiritu esse contendant, »ut congrue illud Psalmistae dicere possint: *Dominus pars...*»

Obj. 4.^o S. Hieronymus (2) ait: «si quiddam aliud habuerit »(clericus) praeter Dominum, Dominus non erit pars ejus.» Ergo.

Resp. S. Hieronymum haec dicere de iis qui sua aetate adhuc paupertatem profitebantur; nam jam tunc esse clericos bona patrimonialia possidentes constat ex can. 18, can. 12, Q. 1, qui est S. Augustini, Hieronymo coevi, ubi S. Augustinus conqueritur, aliquos clericos nolle communem vitam ducere.

THESIS VII.

Clerici beneficiati saeculares habent plenum dominium reddituum etiam superfluum beneficii, et non tenentur ex justitia ea erogare in pauperes vel pias causas.

53. Nota. I. Certum est ex concil. Tridentino (3) clericos teneri sub gravi bona beneficalia superflua, i. e. quae ex honesta et congrua statui sustentatione supersunt in usus pios expendere: et certum pariter eos habere plenum dominium in redditus honestae sustentationi necessarios; nam hi redditus sunt justa laboris merces, justum stipendium officii, quod beneficio annectitur, sed justa merces, justum stipendium plene sunt illius, qui ea suo labore et exhibitione officii acquirit: ergo clerici plene sunt domini reddituum honestae sustentationi necessariorum; et si ab his aliquid sibi, parcius vivendo subtrahant, poterunt id cuivis donare, cum pars subtracta non sit amplius beneficii fructus, sed parcimoniae et industriae. Apposite notat Lessius (4), cum congrua susten-

(1) L. 1, c. 99.—(2) Epist. ad *Nepotianum*.—(3) Ses. 25, de reformat. c. 1.—(4) L. 2, c. 4, n. 40.

tatio alia sit infima, alia media, alia summa, puta 500, 600, 700 aureorum, clericum contentum infimâ 500 aureorum posse de reliquis 200 aureis usque ad summam licite et liberrime prout voluerit disponere. Questio est an clerici gaudeant pleno dominio superfluum beneficii, an ex justitia ea pauperibus dare teneantur. Utrique questioni communis jam a saecul. XVI doctrina respondet negative contra antiquiores Theologos cum Navarro, Alexandro Halensi etc. (1), quorum sententiam probabilem dicit Lessius.—Notandum tamen aliquos, ut Layman, Engel, Gormaz et alios respondere affirmative ad secundam partem, licet respondeant negative ad primam. Declarant hoc exemplo: si alicui dentur centum aurei in sumptus peregrinationis, hac tamen cum obligatione, ut quod post expensas factas in itinere, superfuerit pauperibus det; ex justitia tenetur dare pauperibus; quamvis sit dominus centum aureorum; ita in praesenti materia se habet conditio ab Ecclesia apposta. Nostram sententiam inter alios tenent Covarrubias (2), Lessius, Molina, Castropalao, Rhodes, Busebaum, Lugo (3), etc.

54. I.^a Pars. Prob. 1.^o Clerici sunt domini reddituum omnium, etiam superfluum beneficii. Ergo eorum habent plenum dominium. Prob. *antec.* Clerici sunt domini reddituum congruae sustentationi destinatum: ergo etiam reliquorum: nam indivisim eos recipiunt atque promiscue; unde dici non potest, eos aliquorum habere dominium, aliorum autem non habere.

2.^o Beneficiatis assignati sunt omnes redditus beneficales sine ulla exceptione per modum stipendii et mercedis propter laborem beneficio annexum «Beneficium enim datur propter officium (4).» Ergo omnes tam necessarii quam superflui transeunt in beneficalium dominium.

3.^o Si beneficiati non haberent dominium in beneficalia superflua, contractus omnes, donationes, quibus illa ad causas pias non applicarentur deberent haberi pro invalidis: item accipientes tenerentur ad restitutionem in conscientia, saltem cum constaret donationem factam esse de superfluis: sed talis irritatio vel recisio numquam audita est, cum tamen lege aliqua generali hujusmodi contractus irriti declarandi essent ab Episcopis, qui sunt pauperum tutores. Ergo...

55. II.^a Pars. Prob. 1.^o Non restituitur ex justitia seu potius non datur ex justitia quod cuique suum est et proprium. Sed redditus etiam superflui beneficalium sunt proprii clericorum. Ergo... *min.*

(1) V. Lessium. L. 2, c. 4, nn. 41, 42.—(2) In c. *Cum in officiis*. De *Testamentis*, n. 11.—(3) D. 4, sect. 1.—(4) C. fin de *Rescriptione*.

prob. ex Tridentino (1) statuente ut Clerici absentes, professionem fidei non emittentes, reddituum nullo modo dominium acquirere possint, seu «fructus non faciant suos;» imo ut aliquando etiam priventur omnibus fructibus, quos eo anno lucrati fuerint. Ergo a sensu contrario caeteri faciunt fructus suos, eosque lucrantur.—Rursus S. Pius V in Bulla quae incipit. *Ex proximo Lateranensi* declarat, non recitantes officium *non facere suos* fructus illi diei respondententes: ergo alii eos faciunt suos. Nec valet respondere clericos solum esse dominos administrationis, vel non-nisi partis sustentationis necessariae vel argumentum ut a contraria ad contrariam non valere; siquidem dominus administrationis non dicitur unquam fructus facere suos; nec ille qui tantum partem possidet privatur sine distinctione omnibus tamquam suis sive necessariis sive superfluis. Hunc esse sensum Concil. Tridentini constat ex Pallavicini (2) qui narrat, Patres rejecisse propositionem Archiepiscopi Bracarenensis distinguere volentis inter superflua et necessaria bona; argumentum tandem ex sensu propositionum et ex subjecta materia valet.

2.º Haec obligatio ex justitia probari non potest. Ergo non datur. *antec.* prob. nam non prob. *ex natura bonorum*, etenim officiales laici Ecclesiae etiam accipiunt retributiones superfluas ex bonis ecclesiasticis, et earum habent omnino plenum dominium: *nec ex praecepto Ecclesiae*, quae tantum vult pie expendi, numquam dicens, clericos teneri ex justitia ad bonum et pium usum: *nec ex voluntate fidelium*, qui voluerunt res suas expendi in usus pios, nam aliter etiam superflua, quae dantur laicis deberent ex justitia expendi in pias causas; et aliunde, nisi aliud expresse determinetur, illi piae voluntati fit satis, eas immediate expendendo intuitu rei vel personae sacrae, quamvis ex consequenti ea accipientes in res non pias expendant.

3.º Auctoritate D. Thomae (3), qui ait de bonis ecclesiasticis praebendarum: «in secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est, unde non tenetur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam.» De bonis datis Episcopo pro suo munere ait (4): «De his autem quae sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse eadem ratio, quae est de propriis bonis ut scilicet propter immoderatum affectum et usum peccet quidem si immoderata sibi retineat et aliis non subveniat, sicut requirit debitum charitatis.» Ubi juxta Lessium et Sotum desunt verba; *non tamen ad restitutionem tenetur* ut videtur exigere:

(1) Ses. 22, c. 3; ses. 24, c. 12 de Reformat.—(2) Hist. Trident. L. 24, c. 3.—(3) Quod lib. 6, q. 7, a. 12 ad 3.—(4) 2, 2, Q. 185, a. 1.

a) verbum *quidem* et oppositio quam D. Thomas ibi ponit inter bona communia et propria Episcopi; b) Comparatio quam facit quoad jus possidendi cum bonis patrimonialibus, nam quoad modum expendendi non esse idem constat ex responsione quam dat (1) ubi dicit superflua expendenda in pias causas.

56. Obj. 1.º Concilia antiquiora et Patres (Vid. Decr. Gratian. caus. XII, QQ. I, III; caus. 16, Q. 1, c. 68,) planè dicunt clericos non posse de superfluis disponere. Ergo...

Resp. In genere cum distinctione: hoc dicunt qui fuerunt ante Simplicium, cum nondum facta erat distributio illa in quatuor partes; conc. Qui post subdist. Dicunt de bonis communibus; conc. De beneficialibus; neg.

Instabis, a) etiam de beneficialibus nam S. Bernardus (2) saec. XII, dicebat: «Quidquid praeter necessarium victum et vestitum de altari retines, tuum non est, rapina est.» Idem asserit b) S. Laurentius Justinianus, S. Carolus Borromeus (3) dicit ecclesiasticos teneri ad restitutionem si beneficia non expendant in pias causas.

Resp. ad a) S. Bernardum et alios Patres loqui exaggerative, ad comprimendam clericorum avaritiam ut similiter nonnulli loquuntur de bonis superfluis divitum (4).

Ad b) Dicitur S. Carolum eo in loco sermonem facere de bonis stricte ecclesiasticis, non de beneficialibus, a quibus illa distinguit (5) titulo 16 hujus concilii.—Solet etiam citari Alexander III (6) revocans donationes factas ab Episcopo sed non citatur ad rem cum agatur de rebus ad ipsam Ecclesiam pertinentibus.

Obj. 2.º S. Thomas (7) ait: «Clerici sunt dispensatores bonorum Ecclesiae, quae sunt pauperum, quos defraudant prodige expendendo.» Similia habet in II.º Corint. XII, Lect. 5. Ergo.

Resp. Nos habere apertiora et clariora testimonia pro nobis, ac proinde juxta ea dist. haec dicit de bonis ecclesiasticis destinatis pauperibus; conc. De aliis, neg.

Obj. 3.º Jure communi (8) clerici prohibentur testari de rebus ecclesiasticis. Ergo supponitur eos non esse dominos talium bonorum.

Resp. 1.º Multis in locis ex dispensatione sedis Apostolicae posse de his testari, quod non esset conveniens si clerici revera non essent domini. 2.º Dist. Non possunt ex defectu dominii; neg. aliter nec donationes inter vivos valent: ex praecepto et ligamine,

(1) Ibid. ad 2.—(2) Ep. ad Fulconem.—(3) Concil. Mediolan.—(4) V. D. Thomas 2, 2, Q. 66, a. 2.—(5) Conc. Mediol. tit. 16.—(6) C. *Fraternitatem*.—(7) 2, 2, Q. 119, ar. 3 ad 1.—(8) CC. 7-9 De Testamentis.

ut promptiores sint ad eleemosynas in vita elargiendas scientes se in morte de iis valide disponere non posse; conc.

Obj. 4.^o Ante bonorum divisionem a Simplicio Papa statutam clerici non erant domini reddituum Ecclesiae, nisi quatenus ex iis alimenta sumere debebant. Ergo non aliter nunc est eis assignata portio, nisi ut alimenta sumant, et superflua in pauperes vel pias causas distribuunt. Confr. a) Quia fideles non aliter dederunt nisi ad ministrorum sustentationem, ad Dei cultum et opera pietatis. Ergo dominium clericorum in totum redditum beneficii est conditionatum nisi supersint bona, quae distribuenda sunt in pauperes ex voluntate domini. b) Quia quarta pars pauperibus designata nunc permixta videtur cum redditibus clericorum. Ergo saltem quoad hanc partem manebunt obligati ex justitia clericorum.

Resp. Transeat. *antec. neg. conseq.* Dixi transeat *antec.* quia ut volunt Soto, Valentia, Lugo, etc., nec ante divisionem Ecclesia tenebatur ex pacto cum fidelibus expendere bona superflua ex justitia in pias causas, siquidem fideles, rectae et piae Ecclesiae administrationi fidentes, sub tali spe, sed non cum pacto bona sua libere Ecclesiae obtulerunt (1). Insuper negavi *conseq.* quia facta divisione, cum Ecclesia jam assignaret partem pro pauperibus, apparet partem destinatum clericis non minus esse eorum, quam pars pauperum erat pauperum.

Ad confr. a) Jam est responsum. Ad b) Dicendum partem illam, quae pauperibus assignata fuit et modo non invenitur, fuisse jam ad pia opera applicatam, vel ob plurium ministrorum necessitatem, fuisse ex illis nova beneficia erecta, vel aliter ex superiorum facultate pie expensam. Sibi injuste attribuisse clericos, nec admitti potest nisi probetur, nec est verisimile in tanta multitudine in qua non defuissent sancti, qui contra abusum inclamarent.

SCHOLIION.

Undenam oriatur obligatio gravis expendendi superflua beneficiorum in pios usus.

57. Dico: Ex solo praecepto ecclesiastico teneri clericos sub gravi expendere superflua beneficiorum in pios usus.

Ita probabilius cum Lessio (2) contra Lugonem (3), qui derivat ex praecepto religionis, et Molinam (4), qui ex chari-

(1) Multis de causis fideles bona sua Ecclesiae largiti sunt: a) ut clerici a sollicitudine rerum temporalium liberarentur: b) ut non vilescerent et propter inopiam despectui essent: c) ut cohiberentur ab aliis quaestibus faciendis: d) ut nobiliores et sapientiores ad clericatum allicerentur.—(2) L. 2, c. 4, n. 47.—

(3) D. 4, sec. 2.—(4) Tom. I. Tract. 2. D. 114.

tate. Ratio est, quia etsi ex virtute charitatis, vel ex virtute religionis desumuntur congruentes rationes convenientiae hujusmodi praecepti; non tamen colligitur eam inordinationem expendendi superflua in profana, esse gravem, uti revera est, etiam extra casum necessitatis pauperum.

Patet etiam ex modo praecipienda tamquam ex propria auctoritate concil. Tridentini (1) cujus haec sunt verba: «Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solum jubet, ut Episcopi modesta suppellectili, et mensa, ac frugali victu contenti sint, verum etiam in reliquo vitae genere, ac tota eorum domo caveant, ne quid appareat, quod a sancto hoc instituto sit alienum, quodque non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum praeseferat. Omnino vero eis interdicat, ne ex redditibus Ecclesiae consanguineos, familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, iis, ut pauperibus distribuunt; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa;... Quae vero de Episcopis dicta sunt, eadem non solum in quibuscumque beneficia Ecclesiastica, tam saecularia, quam Regularia obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed et ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales pertinere decernit.»

Adde, si haec gravis obligatio esset sequela naturalis juris sive naturalis, sive divini sive ex praecepto alicujus virtutis, Pontifices Summi in ea non dispensassent, debuissent enim in ipso jure naturae vel divino dispensare. Atqui tamen tres Summi Pontifices Sixtus IV, Julius III, Paulus V (2), dispensarunt clericos in urbe et ditione romana ad decem millaria existentes, eis facultatem tribuentes plene disponendi de omnibus redditibus beneficiorum tam per actus inter vivos, quam mortis causa. Ergo ex solo praecepto Ecclesiae, etc.

58. Si quaeratur quandonam graviter peccetur contra hoc praeceptum?

Respondetur breviter cum Guri-Ballerini (3): «Ad materiam gravem requiritur, quantitas multo major, quam in furto scilicet juxta veriore sententiam, pars vigesima circiter superfluum (4). Haec norma locum habere tunc solum poterit quando superflua ita superabundent, ut vicesima eorum pars multum excedat communem gravitatem materiae in furto; quae quidem materiae gravitas praeterea hic non *relativa*, sed *absoluta* intelligenda videtur. Dixi *multum excedat*; nam S. Alphonsus (l. c.) cum S. Thoma (5) ad id requirit *multum* prae communi gravitate *excessum*.» Ratio hujus rei petitur ex eo, quod obligatio haec non proveniat ex justitia sed tota oriatur ex praecepto pie et religiose prout clericos decet bona illa erogandi; inde fit culpam gravem vitari, si clericus illa bona ita expendit, ut moraliter censeatur, superflua maxima ex parte, piis usibus applicare.

(1) Ses. 25, c. 1 de Reform.—(2) Litt. respective: *Etsi universis*, 1, Jan. 1474; *Cupientes*, 10 Mart. 1550; *In eminenti*, 8 Apr. 1606.—(3) De just. et jur. n. 560.—(4) S. Lig. l. 3, n. 491, IV.—(5) Quodl. 6, a. 12.